3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RACHITIDE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate ornati admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICHARDUS ECROYD, ANGLO-BRITANNUS.

———————— *Nec pigeat jam*
Infanti, medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis pallida membra color. TIBUL.

Ad diem 10 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud G. HAMILTON & J. BALFOUR
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LV.

Avunculo suo

plurimum honorando,

GEORGIO SMITH

de ADDINGHAM,

in Comitatu Eboracensi,

S. D.

QUUM hujusmodi Tentamina juvenilia cujusdam Illustris Viri tutelae subjicere consuetudo sit, cur anceps haererem, cui grati animi pignus, qualecunque sit, consecrarem? Measque fortunas laudo, cui secundis auspiciis talem amicum foelicior sors concesserit. Sed minus ob sanguinis affinitatem quam virtutes eximias patrocinium inire tuum anhelus palpito, cujus liberalitatem pauperum praeconia, benevolentiam unitae amicorum laudes, longè latèque proclamant; qui morum integritate vitam ornâsti, eruditionem suavi alacritate temperâsti. Sed ne pudicas aures laeserim, dum sublimiores mentis dotes, quae hominem ornant, enumerare frustra tentarem, ut hanc primam ingenii mei foeturam solito favore prospicias enixè precor. Vale.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RACHITIDE.

QUOTIESCUNQUE venuſtam telluris faciem accurate contemplamur, variaſque animantum naturas, elementorum mirabilem ſitum et vim, corpora caeleſtia, ſuos curſus juſto tempore abſolventia, totiuſque harmoniam et dependentiam; clariſſimè innoteſcet (animo ſtudiis melioribus probe imbuto) divini illorum Conditoris ſapientia, potentia, gloria, qui terrarum fundamenta ſtabilivit, metas ponto ſaevienti ſiſtit, pondere et menſurâ omnia temperavit: attamen in omnibus ſuis operibus non major gradus conſilii, intimas rerum proprietates, univerſaeque arcana naturae inveſtigantibus adparet, quam in microcoſmo humano, ſi ejus ſtatum contemplemur, vel pro pulchritudine

vel pro usu: omni itaque mentis molimine et artis auxilio enitendum est, ut quantum fieri possit, istud vegetum et coeleste corporis decus, membrorum agilitas, gymnasios et ministeriorum necesse obeundorum aptitudo conserventur, suis rite fungantur muniis viscera organica, sanitas praesens tueatur, omnis morbosa affectio, vitales naturales vel animales functiones impediens, tollatur; et denique, "Curandum est sit mens sana in "corpore sano." Hisce scientiis indesinenter inservire, hisce negotiis vitam consecrare medici provinciam decet: et quoniam

Mos laudandus hujus inclytae Academiae inaugurale specimen ingenii exigit, ab eis qui honorem in medicinae scientiâ ambiunt, quâ nihil praestabilius, nihil humano ingenio dignius, excogitari possit; nullatenus scribendi animo pruriente impulsus, sed tam peritorum arte Apollineâ virorum placitis pie obtemperaturus, morbum tractandum selegi, cognitu facilem, sanatu difficillimum, ambiguum RACHITIDIS vocabulum audientem, quem ferè solus experitur misellus infans.

De

De mirandis hujus morbi effectibus, vel nihil omnino, vel saltem ad nostrum propositum neutiquam utile antiquitatis monumenta suppeditant: circa medium saeculi ultimo elapsi inter Britanniae, insulae vernaculae, alumnos, princeps foedum extulisse caput, clarissimorum scriptorum suffragiis certum est; deinde mortalium teneram dehonestans sobolem, suum contagium suasque strages per omnes Borealis Europae plagas diffudisse, exercuisse.

In prosequendo nostri thematis filo, nequaquam vacillante basi hypotheseôs fallacis freti, aut floridae verborum decipientium pompae studiosi; sed ex certis manifestis phaenomenis verum atque utile aliquid illustrare conemur: attamen quo concinnior nostris paginis nitescat ordo, auctorum recentiorum serie methodicâ calcanda est via; et insequuntur

CAUSAE

CAUSAE PROCATARCTICAE.

* *Foelix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas!*

Causa efficiens in lucem editis cenſenda eſt omnis error in rebus nonnaturalibus: ſunt autem victus tenuis et viſcidus; potus aquoſus et non fermentatus, digeſtionis negotium turbans; humida aëris diſpoſitio, variis inſalubribus exhalationibus referta; externi frigoris exceſſus; lotio tepida; ſanguinis largiores evacuationes; alvi purgatio nimia; ſudor copioſus; paludoſis in agris vitae tranſactio; morboſarum nutricum lac lactentis corpori inimicum; morbi praegreſſi, uti varioli, morbilli, dentitio; dolor continuus; defectus exercitii; etiam externae injuriae, ut ſtragulis humidis decubitus; mala nutricum conſuetudo infantulos pallio ſtricte involutos diu noctuque brachiis geſtantium.

His addi poteſt nondum natis aetas ſenilis et temperies parentum morboſa, ſcorbuto, ſtrumis, lue venereâ, arthritide, icterove accep-

ta,

* Virg. Georg. lib. 2. verſ. 490.

ſta, aut qui crapulis et fulvorum vinorum nimis libero uſui indulſerunt, miſerandae proli labem impertientes.

Causa proxima vitium organicum omnibus agnoſcitur, ſcil. laxa firmarum partium fabrica; exinde neceſſe inſequitur fluidorum cacochymia pituitoſa, iners, vapida.

DIAGNOSIS.

A nono menſe uſque ad ſexum aetatis annum, infantes prae caeteris Rachitidis ingreſſui horrendâ miſeriarum phalange obnoxii inveniuntur, citius aliquando tardius fere nunquam, quos, infandum dictu! languentes turpiter conſumit, uti tenerum humi purpuraſcentem floſculum contagioſus aër.

Symptomata, quibus hic morbus incipiens infantulorum cunis infeſtus praeſertim dignoſcitur, et mali incrementum minitatur, ſunt; quando nugantis nutricis blandimenta averſantur, nec amplius deliciarum largitor innocuarum excolitur puerilis luſus, neque

conſortio

consortio et garrulis blanditiis lascivientis sodalis delectantur, cujus voces antea reiterare tentârant, uti pastorum sonos antris abdita, balbutiens Echo; quando fratres et sorores simili morbo capti sunt; et sustentacula petunt ignaviae suae auxilium praebentia, prae languore et virium impotentiâ ad minimum trepidant motum, ut ad blandum zephyrum viridantes sylvarum comae; atque si jam pedibus institerint et incessum experti sint, levi de causâ titubando ignavi ab incepto cito deterrentur; assiduam sedendi voluntatem demonstrant, in perpetui decubitûs desiderium transeuntem; quorumcunque artuum motus multum impeditur; et si corpus erectum teneatur, collum flexile capitis nutantis oneri sustinendo impar quaquaversum delabi patitur; ingenium praecox acutum, sensuumque sincerum exercitium; appetitu ferme illaeso. Ingruens morbus adultiorem adeptus gradum, deteriora indicia exhibet; caput magnum suturis amplis interstinctum; color corporis nivis ad instar pallescere incipit; musculi atrophiâ consumuntur; cutis laxa, abdomen turgide inflatum observatur; frustulatim decidunt nigri dentes temporanei, ossium epi-

physes

physes crassiores protuberant; miris flexionibus incurvantur crura, brachia, spina; pectus angustum lateribus compressum sterno acuminatum; respiratio anhelosa et angusta; arteriae carotides et venae jugulares arundinum stipitem emulantes intumescunt; facies plena, florida; extremorum debilium prava positio et motus; urina lurida, alvi conditio ut plurimum incerta; alimentumque non multum mutatum deponitur.

Denique pulsus exilis, creber et durus, atque sitis inexplebilis indigitant febri hecticâ tabidum depasci corpus, quam fere semper insequitur presso pede mali moris peripneumonia; sic magis magisque indies augentur, atque in pejora ruunt mala, donec tandem mors exoptabilis dolores sopiendo tragoediam claudat.

Sectio cadaverum hoc morbo defunctorum, quibus altius haesit lethale malum, sequentia phaenomena morbosa observatu insigniora detexit. Musculi miris modis pallidi flaccescunt; hic et inde pulmonum parenchyma plurae adnascitur, interdum etiam universa

universa eorum superficies integram coalescentiam nanciscitur, modo unus modo plures horum viscerum lobi tumoribus et ulcusculis infarciuntur, grandescens jecur quam in statu sano triplo majus haud raro invenitur *, et glandulae omnes lymphaticae justo majores intumescunt, materies sub ossium cavitatibus medullae nomen vix meretur, utcunque cruenti seri faciem induens; collabitur tela cellularis, aut aquis interfusis impletur; totius corporis ossa spongiosa facta è suâ firmâ compage resiliunt; pituitosâ illuvie inundata scatent thorax, abdomen, cerebrique meninges; principium medullae spinalis calvariam egressae in hoc affectu solito durius esse, et obstructum adserit celeberrimus HOFFMANNUS †.

RATIO SYMPTOMATUM.

A NONO mense usque ad sextum aetatis annum infantes prae caeteris Rachitidis ingressui, horrendâ miseriarum phalange, obnoxii

* BONET. sepulc. anat. tom. 2. sect. 12. obs. 4.

† HOFFMAN. oper. omn.

noxii inveniuntur, citius aliquando tardius fere nunquam.] Juniores pueri humidiore et frigidiore temperamento praediti, eorumque solida magis distractilia sunt aetate grandioribus; calor enim insitus ad virilem usque statum intenditur et vitalis facultatis validiorem nixum procreat, ac tonus elasticus magis magisque firmatur: itaque non mirum si morbis frigidis, qualis hic est, aegrius tentati fuerint adulti, quamvis, secundum sententiam jam relatam, infantes mox a partu viderentur huic malo maxime proni, quod tamen experientia non comprobat, quin potius contra suffragatur; siquidem vix aut quam rarissime ante nonum mensem, nisi haereditarius siet, hunc affectum incurrunt; quod pendere è mutata victûs ratione, scil. quando ab ubere depulsi sunt, verisimile est. En dein exaudiamus clarissimum GLISSONIUM sequentibus verbis differentem, idque eleganter *:

"LAC enim muliebre tam tenellae aetati saluberrimum alimentum est, praesertim è mammis exsuctum; est quippe cibus simplex et uniformis, multum alens, coctu facilis, et constitutioni

* GLISSON, tract. de rachit. pag. 220.

conſtitutioni infantum amicus et familiaris: quamdiu ergo hoc alimento commode aluntur, pauciores diaetae errores irrepunt, minuſque huic morbo redduntur proclives. Notandum tamen, ſi lac nutricis non ſit in ſe probum, vel aliàs in ſe non apte reſpondeat infantis diatheſi, rationem hanc locum non habere: quando igitur nutrix gravida eſt, aut immoderatius veneri dedita, quando ea cacochymica, aut valetudinaria, aut aliàs aegra, quando ea temulentiae aut crapulae aut inſalubri diaetae indulgens; tutius eſt, niſi commodior nutrix in promptu ſit, ablactare infantulum."

QUANDO nugantis nutricis blandimenta averſantur, nec amplius deliciarum largitor innocuarum excolitur puerilis luſus.] Qua lege quibuſve mediis animus et corpus uniantur inter ſe invicem, atque unum ſtabiliant totum, ſuperbiam mortalem ſuperat; et in mille meditationes abrepti propria de natura ignorantiam lubentes confitemur: tam mirabilis autem intercedit arcta ſodalitas et nexus, ut unus aliquo modo utriuſvis ruinam minitante affectus, ſympathiâ in conſenſum deducitur alter; ac inexplicabili hominis beneficio,

ut laedentem excutiamus causam, doloris excitatur generalis idea, fidelis et incorruptus corporis custos periculique imminentis vigil monitor : sin itaque, inchoante malo, vitiatur organorum textura et humorum diathesis, nec debitâ copiâ encephalo secernuntur spiritus animales universis corporis partibus impertiendi ; mira ratione compatitur principium sentiens, et aegrotantis notae mentis, ut familiarium sodalitium in deliciis non habeatur, ludendi desiderium ex integro amittatur, nec cautae nutricis blandientibus verbis delectentur.

Quando fratres et sorores simili morbo capti.] Quasdam familias nonnullis malis maxime proclives esse cuivis notum est, ubi affectuum funestorum haereditaria semina in ipsis vitae staminibus radices infixerint, quibus principiis superadditis causis accessoriis, luxuriante incremento pullulare progreditur vivax malum, donec tandem spes parentum et crescentis aevi solatia esuriente falce metit inexorabilis tyrannus, Necessitas, atque ab eadem domo, ac eadem sorte, lugubri pompa frequentes celebrantur neniae ; et si tali modo affecti

fuerint

fuerint fratelli aut ſororculae, ſi facies juſto habitior ſit, ſi virium diſpendium et languor exercitii impotens tenella membra occupet, incipientis morbi haud levis ſuſpicio ingreditur.

Sustentacula petunt ignaviae ſuae auxilium praebentia, et ad minimum trepidant motum, atque, ſi jam pedibus inſtiterint et ambulare inceperint, levi de cauſa titubando ignavi ab incepto cito deterrentur.] Nullus non novit quam abſolute requiſita ſint ad ſubigendos humores, noſtraeque naturae aſſimulandos, bonumque ſanguinem conficiendum, viſcerum vaſorumque robur et actio. Hiſce deficientibus in aquoſum laticem convertitur corporis cruor: quod quidem ex clariſſimi Lewenhoekii experimentis ſatis ingenioſis ulterius confirmatur; qui microſcopiorum ope majores noſtri ſanguinis globulos rubros, è minoribus ſeroſis conflatos eſſe fortiore vaſorum actione inter ſe invicem ſtricte compactis, quâ ceſſante in ſuas componentes partes reſilientes, ſe vidiſſe aſſeruit: atque ſuis primordiis animalium ſolida debilia minore vi in fluida agunt, donec illa firmaverit creſcens

aetas;

aetas; unde vis coctrix prosternitur, organa chylopoietica labefactantur, quae aptam corporis nutritioni materiem, animalem indolem saepe circulando adeptam, vasculorum lateribus apponendam nequaquam suppeditant; exinde membrorum debilitas, virium jactura, et cujuscunque motûs impatientia necesse insequuntur.

Assiduam sedendi voluntatem demonstrant in perpetui decubitûs desiderium transeuntem, &c.] Quanquam vis consilii expers mole ruat sua, attamen debilitatis conscientia omnes inclinat animantes supra vires incepta nequaquam tentare, ne diras temeritatis luant poenas.

Si corpus erectum teneatur, collum flexile capitis nutantis oneri sustinendo impar quaquaversum delabi patitur.] Universi colli merasmo consumuntur musculi, et vim resistentiae scil. capitis pondus, quod in tantam crevit molem, superare impotentes, gravitatis legibus huc vel illuc, ut casus tulerit, inclinari caput necesse est.

Ingenium

INGENIUM praecox acutum, ſenſuumque ſincerum exercitium.] In hoc affectu pleniore rivo caput verſus fluitare invenitur ſanguineus humor, uberiuſque ſolito ſecerni ſpiritus animales probabile eſt; exinde fortaſſis rachiticorum praecox ingenium, vel quia eorum vita otiis dedita puerilibus tricis valedixerit, atque eorum cogitationes circa gravia aetate provectiorum conſilia verſantur, occupantur.

APPETITU ferme illaeſo.] Ob ſuos ventriculos capaces et minus ſenſiles, ſatis copioſam alimentorum quantitatem ingurgitare ſolent Rachitide laborantes, quamvis, ob humoris gaſtrici et bilis inertiam, extremae famis acutiem vix patiantur; neque nutrimento aſſumpto probe aluntur corpora, tanta adeſt organôn chylopoieticorum debilitas et impotentia, ut blandum naturae noſtrae chylum elaborare nequeant!

CAPUT magnum ſuturis amplis interſtinctum.] Pendet ex aucta oſſium craſſitie, aqua inter piam et duram matrem ſcatente, cerebrum comprimente et cranium elevante; et ſi firmam coaleſcentiam non adhuc adeptae

ſint

ſint ſuturae, vi creſcentis cerebri diſtendente è ſua unione reſolutae fatiſcunt; uti ingenioſus quidem auctor obſervavit*, "Cum aliqua corporis pars marceſcat et extenuetur, ſanguis iſti parti impendi ſolitus in alias corporis partes mandari debet: et cum nulla pars corporis cerebro et hepate ſit mollior, et impulſui ſanguinis cedere magis apta; facile ab irruentis ſanguinis majori copiâ diſtenduntur, et in tantam molem et incrementum aſſurgunt."

Color corporis nivis ad inſtar palleſcere incipit.] Firmarum partium color pendet à fluidis contentis; ſi enim è glandula vel muſculo injectione aquoſa diluas ſanguinem, faciem induit albidam: itaque laxa ſolidorum conditio, et fluidorum aquoſa moles pallidi coloris rationem reddet:

——Viridis per viſcera pallor
AEgrotas tenui ſuffundit ſanguine venas.

Musculi atrophiâ conſumuntur.] Perpetuam mutationem patiuntur corporis humani ſolida, atque illae partes quae actione corporis

* R. Lower de corde, p. 114.

corporis inevitabiliter destruuntur, destructae ab eadem opera reficiuntur, quod Fabricantis sapientiam ineffabilem effert; verumenimvero ad veram nutritionem perficiendam, non solum fluidorum sed etiam solidorum certae quaedam conditiones desiderantur, scil. arteriarum et aliorum viscerum in sanguinem actio: exinde sequitur totius massae calor, color, fluor, densitas. Si enim perpetuo attritu vasorum latera periere, neque his causis requisitis in tantum naturae nostrae assimulantur fluida, ut partibus jam amissis adhaereant, resarciant; perpetuum dispendium pati solida et atrophiâ consumi rationi consentaneum est.

Cutis laxa.] Tunicâ musculari orba, et vi sese contrahendi expers cutis est: itaque si partes contentae extabesiant, et suo volumine minuantur, flaccida pendebit corporis theca.

Abdomen turgide inflatum observatur.] Mirandam vim aëris elastici praecipue in teneris ventriculis generare solent alimenta quaedam, quo rarefacto, facilem distensionem

ſtenſionem patientur inteſtina abdominiſque muſculi: annotante GLISSONIO *, "Tumor "hic partim à flatulentia ventriculi et inteſti-"norum, partim à magitudine hepatis alio-"rumque viſcerum provenit; aliquando e-"tiam huc conſpirat ſeroſa exſudatio in cavi-"tatem abdominis depluens, aſcitem inve-"hens; hoc ſignum perpetuò fere adeſt, nec "tamen pro pathognomico habendum, cum "aliis morbis ſit commune."

FRUSTULATIM decidunt nigricantes dentes temporanei.] Nutrimento deſtituuntur, et aquoſo latice è ſuis alveolis ſolvuntur dentes; igitur non mirum ſi integri defluant vel putredine correpti fruſtulatim decidant.

OSSIUM epiphyſes craſſiora protuberant.] Pluribus vaſculis arterioſis irrorantur epiphyſes quam reliqua oſſium ſubſtantia, teneriorque eorum compages; igitur vi liquidi diſtendentis facilius cedunt, et in majorem, quam par eſt, creſcunt molem.

MIRIS inflexionibus curvantur crura, brachia, ſpina.] Liquamen aquoſum, quo obruuntur

* GLISSON. tract. de Rachit. p. 273.

ruuntur horum aegrotantium corpora, in cellulas atque offium interftitia fefe infinuando miram mollitiem, craffitiem, et flexibilitatem illis impertire folet; itaque à quavis caufa vim aut momentum inferente, fcil. mufculorum fitu et tractione, mutatur offium figura quae in miros finuantur arcus: attamen in aequalem partium nutritionem huc confpirare haudquaquam in dubium voco. Afferuimus fuprà, infantes hoc malo afflictos non modo ad motum fed infiftendum pedibus, prae virium defectu, ineptos effe: praeterea nutricum incuriâ, ad hoc vel illud latus nimis diu inclinant, quo onus corporis rebus ambientibus pro levamine fuffulciant, unde mirâ ratione diftorquetur fpina debilis.

Respiratio anhelofa et angufta.] Tumida abdominis repletio et hypochondriorum tenfio, liberum diaphragmatis motum deorfum multum impedit, atque vitalis auräi ingreffui vehementer obftat; et jam è fua circulari figura receffit pectus, proinde neceffariò minuitur cavi thoracis fpatium, comprimuntur refpirationis organa; illic fanguinis fiftitur tranfitus, atque moleftus fenfus fuffo-

cationis

cationis percipitur; unde crebra et laboriosa respiratio insequitur, ut sanguini hisce visceribus haesuro concilietur velocior motus.

Arteriae carotides et venae jugulares externae arundinum stipitem emulantes intumescunt.] Glandula lymphatica mollioris generis cerebrum est; itaque facile distenditur, mole augetur et fortiter ad cranium undequaque premitur; exinde impedietur motus sanguinis ex arteria carotide et vertebrali internis, encephalon ingredientibus: itaque pleniore fluxu ad externum carotidis truncum determinabitur sanguineus humor, unde refluentis uberior quantitas per venas jugulares externas revertetur, et exoritur horum vasorum tanta dilatatio.

Facies plena florida.] Copiosius liquorum supplementum hisce partibus destinatum, hujus phaenomeni rationem explicare videtur.

Extremorum debilium prava positio et motus.] Magnâ pedum distantiâ, et sic auctâ corporis basi, vacillantia membra stabilire

lire conantur; attamen in incedendo, quando alterutrum pedem è terra elevant, nisi equilibrium corporis in adversum latus inclinando sustentarent, humi laberentur proni; unde ista mirabilis inter ambulandum jactatio.

Urina lurida.] Ingenti copia versus organa lotium secernentia distillabit aquosus humor, quae quidem quam in statu sano majora mollioraque deveniunt, non aliàs ac caeterae corporis glandulae, liquorque secretus minorem quantitatem olei et salis animalis in se continet; unde urina pallida.

Alvi conditio ut plurimum incerta, alimentumque non multum mutatum deponitur.] Quando ob parvam quantitatem et inertiam succorum primis viis inquilinorum minime irritatur tractus intestinalis, ut motu peristaltico sese exonoret, stricta erit alvus; sed quando suos liquores copiosius effundunt glandulae vagae, lubricis dejectionibus deorsum eliminabitur alimentum, interdum etiam non multum mutatum.

Denique,

Denique, pulſus exilis creber et durus atque ſitis inexplebilis indigitant febri hectica tabidum depaſci corpus, quam preſſo pede inſequitur peripneumonia lethalis.] Qui contemplatur cauſas antecedentes, ſigna atque ſymptomata, facile videbit hanc febrim habere fomitem perpetuum humoris maligni, qui admiſtione novi chyli accenditur et cito per totum mechaniſmum vagatur flammeus ardor, ex aſſumpto cibo ſenſibilior in volis manuum, plantis pedum, et malis; pulſus crebrior et fortior, ſitis inſignis invadit; conſumitur corpus, et ſceleton pelle tectum repreſentat; lentor phlogiſticus ſanguine hoſpitatur; qui quidem ineptum reddit ad vaſcula capillaria pulmonum tranſeunda, ibi haerens irreſolubiles obſtructiones parit immedicabili peripneumoniae, phthiſi, &c. anſam praebentes; et tandem ſupremum obeuntes diem, ad eos qui vixerunt tranſmigrant.

Symptomatum, in cadaveribus ſeſe manifeſtantium paraphraſin exordiri, de induſtria diſtuli; memet ipſum adulando ex praecedentium explicatione facili negotio intelligi poſſe: praeterea—"Cynthius aurem vellit."

PROG-

PROGNOSIS.

Unius cujusque morbi catastrophen cautè pronunciare prudentem medicum decet, ne ab ignaris pro ludibrio habeatur divina scientia; praestat potius ut non temere in morbis praesagiat futura: imprimis si nondum diu artem exercuerit, donec usu firmior et propriis cognitis erroribus cautior evaserit, ut olim monuit sagax Hippocrates. Veruntamen, praejudicationes nonnullae ex insequentibus phaenomenis desumi possunt.

Primo, Si ex nutricis lacte vitiato vel parentum labe morbi semina acceperunt infantes, raro aut nunquam medelam accipiunt.

Secundo, Quo citius à partu invadit, eo periculosior; quia naturae proclivitatem in Rachitidem arguit, vis vitae morbo profligando impar est, et tam tenerae aetati frustra paratur medicina.

Tertio, Si per longas moras invaluerit malum, ossa incurvata, abdomen tumidum, caput

put magnum et mali ominis alia ſymptomata adfuerint, vix ſpei crepuſculum eluceſcit.

Quarto, Authores practici annotârunt, ſi bonis aegri auſpiciis ſuperadvenerit febris inflammatoria, variolae, tentigo, ſcabies aut talis eruptio cutanea, infantulos hoc affectu laborantes ſanatos fuiſſe.

Quinto, Si rachiticus quintum aetatis annum exceſſerit adhuc vigente morbo, miſer et valetudinarius per totum vitae decurſum evadet, veteriſque mali veſtigia raro delentur.

Sexto, Si à ſolâ regiminis culpâ originem trahat, et nondum vigorem adeptus ſit morbus, non eſt cur de eorum ſalute deſperemus. Et miſeris infantulis opem ferre quid jucundius? igitur pauca de therapeia tradere progrediamur.

METHODUS MEDENDI.

Omni procul dubio pulchra progenies parentum ſolamen eſt, perpetuae poſteritatis ſpes et ſempiternae foelicitatis pignora habentur; ſed eheu! quam doloſa ſuis beneficiis eſt Fortuna procax! princeps gaudium in proprium vertitur exitium, ſublimem vultum ſtirpis defoedat edax morbus! Quis vero mortalium tam crudelis tam effera mente praeditus, ut ocellis lachrymis fluitantibus et mente caducae ſortis memori, humanam ſobolem tot et tam prodigioſis malis implicatam non miſericors proſpiciat, et miſeriarum levamen omnibus animi nervis non moliatur? Neque curta eſt medicaminum claſſis: radicum et herbarum vis, gelidarum et fumantium aquarum ſcatebrae, quas in vallibus apricis, tepente littore, et deſerta ſolitudine, è luxuriante terrarum ſinu fuderit ſupremus omnium Auctor, cujus gloriam indigitant vagantes ſtellae et errans luna.

Et quoniam variant morbi, variabimus artes;
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

CONSILIA

Consilia curatoria infrà poſitis indicationibus verſari videntur.

Primo, Ut morbi cauſa, quantum fieri poteſt, tollatur.

Secundo, Ut ſpiſſi humores fluidi reddantur, atque è corpore eliminentur.

Tertio, Ut ſolidorum ſyſtema roboretur, ejuſque langueſcens actio in fluida excitetur.

Quarto, Ut partibus tono vel figurâ vitiatis, reſtituatur priſtina facies.

Ad primam indicationem peragendam conſideranda veniunt, omnia quae morbi ingrati fomitem ſuppeditare queant; nam, niſi cauſa morbi fugerit venis, evanidâ ſpe deluduntur unita medentium conſilia: quare, priuſquam morbum ipſum preſſiùs impugnamus, cauſas efficientes aggrediamur, ut quam minimum morbi expugnationi obſtent. Sin itaque fumantis littoris aut ſtagnantis paludis vapor, quem humidis alis vexerat plumbeus Auſter, tenellum infecerit corpus, foeliciora inviſenda ſunt

arva, ut ſoli caelique temperamentum mutetur. Si ex parentum labe ortum duxerit, medicamina huic ſcopo proſpicientia adhibenda ſunt. Si ex nutricis culpâ, melior eligenda cui tradendus infans *. Si ex inſalubri victûs norma, aliud regimen corpori alendo magis amicum inſtituendum eſt.

Secundo, Ut ſpiſſi humores fluidi reddantur, atque è corpore eliminentur.] Lentore pituitoſo Rachiticorum corpora ſcatere dubitavit hactenus nemo: itaque per organa lymphae ſecretioni et excretioni deſtinata molis aquoſae eliminatio tentanda eſt, cujus pars maxima extra circulationis leges venulis abſorbentibus, ut ut poteſt, in circuitum abripienda; et, quia ſpiſſior eſt quam ut vaſculorum meandros permeare poteſt, huic fluor conciliandus: ut olim dictavit Cous ſenex, "Quae movenda ſunt fluida prius facere oportet;" in quem finem inſtar omnium auxiliorum exercitium eſt, ſcil. in cunis agitatio aut nutricum ulnis jactatio, non ad faſtidium, ſed ad refocillandam corporis mentiſque aciem, huc quoque conſpirat lenis frictio; quae duo fluiditatem humoribus conciliant et ſyſtema

* Vide Monſ. Petit de maladies des os, p. 569.

ma ſolidum roborant. Neque hîc negligenda ſunt quaedam è regno vegetabili petita; qualia ſunt, rad. raphan. ruſtic. naſturt. zinzib. ſinapi cochlear. et alia, ut ſal. vol. c. c. terra foliat. tartar. ſal. abſynth. &c. Poſt lentorem reſolutum evacuandi ſunt humores: igitur,

1mo, De purgatione. Omni cautelâ propinanda ſunt purgantia draſtica, ut ſcammon. reſina jallap. quae quidem magnum corpori languorem inducere ſolent.

Rhei uſui inſiſtere potius conſilium eſſet meum; quod tantis laudibus proſequitur illuſtris GLISSONIUS: cui etiam adjiciatur Mercurii praeparati aliquot grana; quoniam in reſerandis glandulis abſtructis huic affectui familiaribus, tantâ pollet vi ſpecificâ.

R. rad. rhei gr. x. calomel. pp. gr. i. M. fiat pulv. quem ſumat cubitum iturus bis in ſeptimana, ſi tulerint vires et aegrotantis aetas.

Pro potu ordinario ſequenti utatur formulâ; R. rad. rhei inciſ. drach. ii. ſem. coriandri drach. i. uvar. paſſar. exacinatar. unc. i. cereviſiae tenuioris lb. ii. Digere ſine calore pro uſu dicto.

Aquae

Aquae minerales ſulphureae ſaepe miros praeſtant effectus.

2do, Si ſuperflui humoris fluxum allicere renes verſùs animus fert, in uſum vocanda ſunt plurima balſama naturalia, tereb. Venet. balſamum Gileadens. Peruv. Capivae, quae ſuo calefaciente ſtimulo organa urinam ſeparantia irritando lotii copioſius profluvium excitant.

A nonnullis multum laudatur, Tinc. Entis Veneris, cum vino Canarino propriâ doſi.

3tio, Si ad ſpiracula cutis, vaporis formâ, perſpirationis vocabulo evocandus humor: ſuas efficacias exhibent ſales volat. alkalini, Indiaeque aromata.

4to, Emetica leniora multum boni adferre ſolent: agitando omnes partes, impactos humores fluxiles reddunt, facultatem viſcerum excretricem promovent. Verum cuivis facile patebit vomitoria pleniori quantitate praeſcripta pueris hoc morbo correptis multum nocere; quia tenera aut laeſa eorum

viſcera

† Tract. de Rachit. p. 374.

viſcera tantos in corpore tumultus perferre nequeunt: quapropter circumſpectè admodum hoc remedii genus praeſcribendum, et medicamenti efficacia et quantitas penſitanda. Forſitan inſequens haud inconcinna erit formula:

R. vini Ippecacuanhae drach. ii. ſyr. violar. drach. ſem. M. cap. cum regimine.

Neque ſpernenda ſunt fontanellae et epiſpaſtica quae è cantharidibus conflantur; namque vaſa ſtimulant et omne viſcidum ſolvunt.

Infantes lactantes quorum ventriculi maxime debiles et delicatuli medicaminum farraginem faſtidioſe repudiant: matri vel nutrici ea danda ſunt quae lac medicâ virtute temperare valeant.

Tertio, Ut ſolidorum ſyſtema roboretur, ejuſque langueſcens actio in fluida excitetur.] Roborantium vocabulo intelligi volumus, omnia illa, ſive interna ſive externa, quae molem et firmitatem ſolidis impertiunt, ut ſuas poteſtates majore vi et facilitate in fluida exerant, illaque denſiora et fluidiora reddant.

1mo, De internis. Ut appetitus digeſtioque revocentur, et bene nutriens chylus ſanguinis

guinis maſſae adjiciatur, amara et ſtomachica praeſcribere optarem.

R. infuſ. amar. ſimp. drach. vi. ſp. lavend. c. drach. ſem. M. fiat hauſt. horâ undecim. matutin. et quintâ pomerid. ſumend.

R. decoct. cort. Peruv. ſimp. unc. ſem. confect. card. gr. vi. ſyr. è cort. aurant. drach. ſem. M. fiat hauſt, horâ ſomni capiend.

2do, Sub mali initiis poſt exercitationem et frictionem, de quibus antea obiter diſſeruimus, nequaquam ſilendi ſunt ſalutares effectus quos edunt balnea frigida, quae ſuo frigore corporis fibras ſeſe contrahere cogunt, et tonum partium reſtituunt; ut olim cecinit religioſa Claudiani Muſa,

Amiſſum Lymphis reparant impune vigorem.

At, ſi jam aliqua viſcera infarciantur, cavendum ne tantus impetus, auxilii loco, incommoda numero carentia inferat; quod hiſce ſignis ſciendum. Si citò poſtquam balneis egreſſi ſunt, totum corpus geniali ſuffunditur calore et alacres fiunt, multum boni exinde oritur; et, vice verſâ: uti Celeberrimus Profeſſor noſter MONRO, ſuis Praelectionibus, obſervavit, quibus ſibi nomen non mediocre uberrimamque conſecu-

tus

tus eſt laudem. Pannis laneis, gummi Benzoino fumigatis, affricetur ſpina dorſi et abdomen.

Tertio, Ut partibus tono vel figurâ vitiatis reſtituatur priſtina facies.] Ad curandas oſſium deformitates, faſciae, ligaturae, et machinae diverſi generis, adaptentur, quae deformitati creſcenti contra-agant : neque arduum eſt opificum ope horum ſpecimina excogitare variis intentionibus ſatisfacientia.

Denique, de victûs ratione verſatur thema noſtrum ; cujus tale regimen inſtituendum eſt, quod facili operâ, et ſine magno organôn chylopoëticorum debilium labore humorum indolem diteſcat ; hoc ſpreto vel neglecto incaſſum ſanantes admovemus manus: ſit ergo alimentum multum nutriens ſaepe datum, ſed mediocri copiâ, ne obruatur ventriculus ; v. g. juſcula è junioribus pullis et viperarum carne conflata ; caro ovilla, hoedina, vitulina, leniter aſſata: omnia haec thymo nuce moſchatâ vel cinnamomo condiantur ; hujuſmodi alia pro aegri lubitu varianda, panis potuſque probè fermentata ſint, victus aquoſus,

ſus, cane pejus et angue, evitandus eſt. Nec tamen ab uſu veteris Bacchi abſtinendum; ſed ejus mediocris vis quotidie ingurgitanda.

Hisce curis rite inſtitutis, hiſce auxiliis caute adhibitis, foedum morbum tandem abjiciet, pulchraque creſcet et vigebit in omne aevum gentium decus fulminantis Britanniae juventus, quâ nihil praeſtantius celeri ſeculorum lapſu unquam vidit Titan.

FINIS.